

# E P I T O M E.

**C**um Turcas ad Senniam, quae in Pannoniae Regis ditione est, oppugnandum in Adriaticum suum penetraturos, miciatum esset; Veneti, aucta vigintiquinque triremibus, ad obstruendum sui maris aditum, classe, a suscepto conflio infestam gentem averttere. Matthias in Pannonia Novogradum de Turcis cepit. Strigoniam aggressus, quamvis satis prospera initio omnia habuisset, soluta obfidaione, discessit. Jaurinum Turcis traditum est. Ad Regis Henrici clementiam aliquot Galliae civitates, quae in foederatorum manibus erant, configere: ipse tandem Lutetiam ingressus, Parisensem Senatum in ordinem statim rededit: Vincentii Gradonici atque Joannis Delphini, Venetorum oratorum, legationem omnibus humanitatis ac liberalitatis officiis excolluit. A Joanne quodam Castello intentatum in ventrem istum feliciter gena exceptit. Poena de scario sumpta, Jesuitae toto regno ejeciti. Uscochi ad latrocinia rediere. Mehemetes Amurathi successit. Venetiis diem suum obiit Princeps Paschalis Ciconia. Supremam Reipublicae dignitatem, duobus clarissimis competitoribus superatis, Marinus Grimanus est consecutus. Cenetenium rerum, propter quas Veneti cum Pontificibus maximas discordias exercuere, origo & status hoc libro continetur. Pax cum Turcis per Leonardum Donatum instaurata. Multa a Christianis in Pannonia contra Turcas, compulsis ad deditionem oppidis, caesis exercitibus, prospere gesta. Ad Palmae substrictionem, quo omne studium Senatus contulerat, novum vectigal impositum. Galliae Rex Pontifici tandem & Ecclesiae est conciliatus. Metus, ne ob expugnatam ab Uscochis Clissam turcici bellū moles in Illyrici Veneti fines incumberet, recepta a Turcis Clissa, discussus est. Partae contra Turcas egregiae victoriae fructus ob militum avaritiam Germani amisere. Massilia, quae ad Hispanos defecerat, in Henrici fidem redit. Ad continentos finibus suis Uscochos, eorumque latrocinia refrenanda egregiam Reipublicae operam Joannes Bembus praefudit. In Pannonia, detrectantibus Turcis pugnam, valde memorabile nibil gestum. Maurocenae Grimanae, Venetiarum ducissae, Rosam sacram Pontifex dono misit. Quae pericula toti Italiae impendebant, ob Ferrariensem ducatum, in quem Caesar Estenus, ab Alphonso Duce contra Pontificis iura heres relictus, invaserat, ea brevi, Pontifici Ferraria tradita, reque amice composta, evanuerunt. Bembus Novium castellum ad reprimendam Uscochorum audaciam cepit. A Caesarianis res in Pannonia contra Turcas prospere gesta: Jaurinum receptum; Buda capta. Clemente Pontifice Ferrariae degente, controversiae inter pontificios ac Venetos de finibus obortae sunt. Cum Hispaniae Rege pax a Gallo facta est. Philippo secundo regi tertius Philippus in Hispania successit. Pseudosebastianus, Lusitaniae Regem ementitus, Venetiis in carcerem conjectus est. Cum nibil per colloquia apud Caesarem atque Archiducem de Uscochorum rebus proficeretur, multa Venetus terra marique contra ipsos molitus est. Turcis in Pannonia gravia a Caesareanis damnata inficta sunt. Avertendum alio Padum, novo effuso alveo, Patres censuere: Aloysius Georgius operibus praefectus est. Uscochorum latrocinia, sumpta a fontibus poena, atque ex Murlace euripiis egressu omnibus prohibitis, Caesar & Archidux sustulere. Galliae Rex bellum ob Salassios recuperandos Sabando intulit: Mariam Mediceam, Hetruriae Principem, matrimonio sibi junxit.